DEO OPTIM. MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,



QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ tertiâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LXIV.

M. FRANCISCO PORTIER DE LA HOUSSINIERE, Doctore Medico, Præside.

An sua sit cuique ætati peculiaris Evacuatio?

I.



AD longævitatem si perveniat homo, varias patitur mutationes, non solùm à circumstantibus eum undiquè incommodis, sed ab intùs sibi ingeneratis absolutè pendentes. Statis enim temporibus crescit, consistit, & decrementum experitur, donèc senio confectus, fatali necessitate procumbat: has vicissitudines, qui annorum spatiis & intervallis dimensi, primùm distinxerunt, simùl ætates appellavere.

Est igitùr ætas illa pars vitæ, in quâ constitutio, & temperamentum notabiliter mutantur. In ipsius primâ periodo, quæ crescens ætas vocatur, infantia, pueritia, & adolescentia deprehenduntur; in secundâ, quæ *Robur* dicitur, juventus, ætas virilis & consistens. Tertia quæ senectus, dividitur in viridem, mediam & decrepitam. Quanta sit, per has ætates, in animæ corporisque functionibus varietas, omnibus notum est; sed inter tot pericula, quod incolumis sæpè perstet, adeò debilis, & complicata machina, Medicus præcipuè miratur, & Naturam, saluti ipsius ità vigilantem, agnoscere, & venerari cogitur. Ipsa enim vitales motus perficit, animales, & naturales excitat: in his vita consistit, per alios conservatur. Inter plurimas verò functiones, quæ sanitati presidia sunt, evacuationum tanta est utilitas, ut ex retento intrà corpus excernendo humore, venenosi deleterii ad instar, mille malorum chronicorum species, acutorum maligna cohors exurgat. Cutis, aures, oculi, nares, oris cavitas, intestina, renes, communia præstant excernentia colatoria, generationis organa, peculiaria. Evacuationum aliæ aquosæ, mucosæ, aliæ sanguineæ. Harum quædam, per totum vitæ decursum, quotidiè peraguntur, aliæ periodicè tantùm recurrunt. Quædam, aliis evanescentibus succedunt; cùm autem quævis ætas, suum peculiare temperamentum habeat, undè peculiaris exsuperat humor; ut sanitas illibata maneat, suam etiam habere debet, peculiarem evacuationem.

II.

PARTES quibus homo constat, similibus ubiquè conflantur elementis, in ipsorum vario proportionis, & cohæsionis gradu: quærendum discrimen. Solidis autem, singularis est congenita proprietas, vi vitali pollere. *Vis vitalis est illa facultas quâ fibræ stimulum percipere, & ad irritamenti contactum se contrahere possunt.* (*a*) In corde mirabilis est illa vis, & ipsius veluti emporium esse videtur illud organum. Fluida ut minimè cohærentia solidorum parietibus coerceri debebant, & sic, dùm ex unâ parte stimuli vices gerit fluidorum latex, ex alterâ in ipsum reagens solidum vivens, illâ constanti & reciprocâ actione instituitur circulatio, quæ vita ipsa est. Sed non solùm fluidis progressivum motum solida præstant, pro diverso etiam laxitatis, elasticitatis, & rigiditatis gradu, dominium alicui ex illis qui ipsorum molem constituunt humori, conciliare possunt, undè temperamentum, & ejus varietates. Homogeneus enim quamvis videatur sanguis, multiplicem tamen in se recondit humorem, serum nempè, partem rubram & fibrosam. In sero aquam exsuperare, in parte rubrâ *Phlogiston*, in fibrosâ terram Chemia demonstrat. Solidorum debili & laxâ constitutione, aquosam partem augeri, forti & elasticâ, sanguineam, rigidâ & debili fibrosam, observatione constat. Sic tria tantùm emergunt primaria temperamenta, pituitosum scilicèt, sanguineum, & quod dicitur melancholicum. Cætera, si quæ sint, ex ipsis sobolescunt.

(*a*) Gaubius. *Pathol. prælection.*

His præmissis, positâ, quam in determinatâ ætate, corpus habere constat, fibrarum debili diathesi, facilè, in fluidorum syncrasis notitiam, deveniemus, & peculiaris ipsi temperies illucescet. Quo majus enim erit fibræ robur, quo major vasorum elasticitas, eò pituitosa magis temperies ad sanguineam accedet; sed si deflagratâ sanguinis igneâ vi, fracto vasorum elatere, exsuccum ferè corpus appareat, sanguinea Idyosyncrasis evanescet, & melancholica dominabitur.

III.

HÆC autem secundùm ætates eveniunt. Infantis enim ferè tota est pulposa compages. Musculi flaccidi, debiles vix exequuntur motus, ossa cartilagineam ferè habent flexilitatem, corporis habitus pallet, frigescit, & nisi fame, aut dolore excitaretur infans, somno sepultus diu noctuque jaceret. Sed paulatim cordis adauctâ vi projectili, solida se explicant; sensus evolvuntur, flammula mentis emicat. Musculis paulò fortioribus, & ossium solidescente contextu, stare potest, incedere. Exercitio tumidus corporis habitus minuitur. Impubertas sic labitur, similiter lapsurâ subsequente pubertate. Hic nova rerum facies, solida per hujus ætatis decursum ad extensionis suæ fastigium perveniunt, robur ipsis additur, vox virilis evadit. Lanugo mentum exornat; pili pubim & genitalia ambiunt; prolificum semen quo testes & vesiculæ turgent, ipsa stimulat, & venereos accendit ignes; in sequiori sexu mammæ sororiantur, & fluxus menstruus erumpit: voluptatis incendio quo juvenile pectus uritur, eodem carpitur igne puella. Ex succinctâ hujus ætatis delineatione patet, infantis fibras esse debiles, laxas, mollissimas. Illa verò solidorum diathesis debilibus fluida premit ictibus. Globulorum serosorum minor indè fit adunatio, proindè & sanguinis parcior generatio; aquosa pars exsuperat & temperamentum infantis est pituitosum. Sed illa fibræ debilitas pedetentim, oriente pueritiâ, mutatur in paulò solidiorem, magis elasticam; sensibiliter adhuc validiorum oscillationum capax evadit in adolescentiâ, mutabitur ergò pari gradu fluidorum indoles, & ad spissiorem magis sanguineam gra-

dietur. Sanguis enim ex Leuvenhoeckii ſententiâ generatur dùm vaſorum attritu ſex minores globuli ſeroſi in unum adunantur. Ad modò dictam temperiem jam vergebat puer, vergit adhuc magis adoleſcens, conſiſtente donec adveniente ætate, vir ſanguineus vigeat. In illâ namque vitæ periodo ſolida non elongantur ampliùs, craſſeſcunt, ipſorum tonus intenditur. Sed ipſum roboris apicem vix adeptus eſt homo, cum ex ipſo dilabitur, & ad interitum ruit. Sicuti enim vidimus temperiem in pueritiâ è pituitoſâ ad ſanguineam tendere, ità deſinente ætate conſiſtente è ſanguineâ ad melancholicam truditur. Per juveniles æſtus nimis exercitata ſolida rigeſcunt, debilitantur, muſculi toroſi emaciantur, cutis lævis anteà, colore vivido nitens, rugis incipit exaſperari, liveſcit. Viri ad venerem tardi, quin impotentes fiunt, ſicut & ad cætera exercitia minùs idonei. In mulieribus menſium fluxus ſubſiſtit. Humores minùs attriti jam non parte rubrâ divites, mucoſam nanciſcuntur indolem. Inſtat verò ſenectus. Magis ac magis rigida, calloſa fiunt vaſa, debilitantur, quotidiè quædam obliterantur capillaria. Corpus incurvatur, fluidorum moles ſpiſſa in extremitatibus ſtagnat; mucoſitas ubiquè obſervatur. In ultimo tamen hujuſce ætatis ſtadio, paulò reſolvitur illa humorum qualitas, & ſenes tunc iterùm pueri facti, ultimo quaſi naturæ auxilio ad pituitoſam temperiem revertuntur: *ſed quod tunc manet ſanguinis, tenue, frigidum & paucum pituitam, ſuperare impotens, ſuperatus ipſe brevi congelatur.* (b)

(*b*) Hippoc. *de morbo ſacro.*

IV.

In omnibus itaquè vitæ temporibus quidam humor dominium habet; ſed excederet brevi & ex illo exceſſu infinita ſuborientur mala, niſi felici mechaniſmo ſuperfluum foràs eliminaret natura.

Conſtat etiam obſervatione peculiarem cuique ætati contingere evacuationem, *cujus ope à ſuperpondio allevantur vaſa, & ipſis tantùm negotii datur quantùm eorum vires ferre poſſunt.* (*c*) Primò quidem infantes alvum laxam habent, ſæpiſſimè mingunt. Exulcerationes ponè aures, ſub axillis, poplitibus experiuntur undè incredibilis copia humidi quotidiè excernitur. Ipſorum oculi continuò lacrymis irrorantur; ſalivoſi ſunt & mucoſi. Secundò, adoleſcentibus ſolemnis eſt ſeminis ſecretio, excretio. Glandulæ inguinales, axillares, muci aquoſi, inodori, loco graveolentem liquorem excernunt. In mulieribus periodica inſtituitur per uterum ſanguinis evacuatio, viris frequenter ſanguis è naribus ſtillat. Tertiò, ætate conſiſtente degentibus, familiaria ſunt è vaſis hæmorrhoidalibus ſtillicidia; adeò regulariter ſæpè incidunt ut periodicà dicerentur. Turbidarum urinarum fluxus ſingulis menſibus periodicè redeuntes ſcrupuloſior obſervavit indagatio; (*d*) quod & legibus œconomiæ animalis ſtatutum eſſe videtur. (*e*) Quarto deniquè, ſuas etiam evacuationes habet ætas decreſcens: ſenes enim mucoſitates multas exſcreant, urinas reddunt turbidas, brevi fœtentes; ut pueri ſalivam eructant & mucoſi ſunt.

Si verò recenſitæ deficiant excretiones, quanta ſuborientur mala quis neſcit? *Quibuſcumque pueris exiſtentibus, inquit Hippocrates, erumpunt ulcera in caput & in aures, ac in reliquum corpus, & qui ſalivoſi fiunt ac mucoſi, hi ipſi progreſſu ætatis, facillimè degunt: qui verò mundi ſunt, neque ulcus ullum, neque ulla ſaliva, neque mucus prodit talibus periculum imminet ut ab epilepſia corripiantur.* (f) Cui morbo etiam addere liceat, parotidum, amygdalium tumores ſchyrroſos, ſtrumoſos, ophthalmias, & frequentes coryzas. Si ipſis conſtipata fuerit alvus, tormina, motus convulſivo, patiuntur; menſenterii glandulæ infarciuntur, undè rachitis, atrophia, mors. In adoleſcentiâ quantas ſtrages exarceat à mulieribus menſtruatio? Qui cœlibes vivunt, ſolo ſublevantur matrimonio. Niſi ſanguis è naribus erumpat, nonne

(*c*) Ruſſell. *œconomia naturæ in morbis glandul. acutis.*

(d) *Sanctorius Medicina ſtatica aph. 65. ſect.* I.

(e) *Vide Theſim amantiſſ. coll. D.* Elie de la Poterie. *An Viris lex eadem quæ mulier. period. Evacu. pati?*

(*f*) Hippoc *de morbo ſacro.*

hæmophtyses, tabes, febres acutæ, inflammatoriæ, hemicraniæ magis adhuc adolescentibus familiares. Qui verò virilitatem & ætatem consistentem adepti sunt, nisi turbidarum urinarum periodico fluxu, aut hæmorrhoidali stillicidio alleventur, ictero affectibus melancholicis, rhumatismo, arthritide vexantur; quæ quidem mala senibus adhuc graviora, & si per anacatharsim, alvum, aut urinas non expurgentur, sæpiùs ipsa comitantur insultus epileptici, calculus vesicæ, asthmata, artuum tremores, & apoplexia.

V.

SIC moderantur ipsiusmet vitæ effectus, sic funesta quæ in visceribus aggererentur morborum seminia evacuantur. Ne objiciàs itaquè, quòd morbosæ sint plurimæ, de quibus loquutus sum, evacuationes; ne dicas sanitatem ab ipsis debilitari, potiùs quàm fulciri, refocillari. Ut varias mutationes experiri debet corpus, non solùm quæ nutritioni necessaria sunt suppetit, sed omnia semper ità dirigit natura, ut vita sit constantissima. *Ratio enim per quam facultas agit, inquit Medicinæ parens, talis est, parti cuivis apta atque idonea attrahit, retinet, præparat, sivè mutat, separato autem quod est utile usibus suis adhibet, deindè occupatur in rejiciendo id quod noxium aut superfluum foret.*

Cùm igitur observatis constet temperamentum consistere in singulari fibrarum diathesi cum humoris cujusdam dominio, cùm constet etiam cuique ætati competere temperamentum, ex his & constanti naturæ lege quam in promovendis evacuationibus sibi imposuisse videtur certa exsurgit nostra conclusio.

Ergò sua est cuique ætati peculiaris Evacuatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Jacobus GOURLEZ DE LA MOTTE.

M. Claudius-Josephus GENTIL, *Militarium Nosocomiorum ad Regis Exercitum Medicus, & rei herbariæ Professor designatus.*

M. Ludovicus-Guillelmus LE MONNIER, *Consiliarius Medicus Regis ordinarius primarius, Regiarum Parisiensis, Londinensis ac Berolinensis Academiarum socius, & in Horto Regio Botanicos Professor ac Demonstrator.*

M. Joannes-Baptista BASSEVILLE.

M. Edmundus-Thomas MOREAU, *Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor designatus.*

M. Exuperius-Josephus BERTIN, *Supremi Valachiæ & Moldaviæ Principis Medicus, antiquus Regis exercituum & castrorum Medicus Primarius nec non è Regiâ scientiarum Academiâ.*

M. Simon-Antonius BRINGAUD.

M. Joannes-Baptista THURANT.

M. Carolus DIONIS.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-CLAUDIUS GUILBERT, Parisiensis, Doctor Medicus Monspeliensis, Regis Exercituum Medicus ordinarius, necnon saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus Theseos Auctor. A. R. S. H. 1764. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis F. A. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1764.